



ΣΤΝ ΘΕΩ

Ex

DEUTERONOMIO

Disputatio VII:

- I. De seductoribus in religione.
- II. De moderatione luctus pro mortuis.
- III. De discrimine & delectu ciborum.

ex capitibus nimirum 13. & 14.

Ad cuius Themata.

In Illustri Academia VVitebergensi

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO

S.S. Theol. D. & Prof. publ. Præpo-
sito itidem templi arcis

Respondebit

MATTHIAS BOETHIVS
Strandensis Holsatus.

*Die 12. Martij in templo arcis Electo-
ralis horis pomerid.*

WITTEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.

M. DC. VIII.

unt,
Cor-
itas
tra-
non
cili-

tum
deli-
a sit
o, ut

san-
m se
igni
est

i su-
tio-
patri
tum
lica-
licis
niste-



Doctrina, humanitate, rerumq; politi-
carum usu Conspicuis
VIRIS,

Dn. IOHANNI ANDREÆ

Dn. IOHANNI HUNNIO

Dn. BENNONI NAAMANNO

Dn. HOMERO VOLQUARDO

Dn. PETRO TETZENIO

Dn. NAAMANNO STEPHANI

Strandiæ incolis præstantissimis

Amicis ac fautoribus suis, omni observan-
tia studio colendis,

disputationem hanc
Dedicat. & offert

Matthias Boëthius.





Σὺν Θεῷ.

Thesis I.



Aperte Deuteronomij decimo tertio docentur Israelitæ, primò quibus ducibus animi hominum, à cultu veri Dei, ad cultum idolorum soleant permoveri, & quomodo istorum deceptiones fugi debeant: deinde, quâ penâ in contumaces & pertinaces idolatricos duces sit animadvertendum. De posteriori egimus disputatione quarta, de priori nunc dispiciemus.

II.

Triplices igitur sunt duces, qui non satis circumspectos, aut confirmatos à veri Dei vero cultu ad idolatriam seducere & incitare consueverunt. Nimirum 1. Propheta sanctitatis specimen præ se ferens & somnia seu revelationem coelestem jactans sed tamen falsus, & idololatricus. 2. Qui sanguinis, affinitatis, & amicitia vinculo nos contingunt. 3. Tota quædam unius civitatis vicina communitas.

III.

Falsus Propheta, seu idololatricus, hoc loco definitur, qui excogitat, somniatq; veneratur item, & aliis venerandos esse suadet & inculcat, falsos deos.

IV.

Falsi dij sunt, qui cælum & terram non crearunt, Jerem. 10. v. 11. neq; cum signis, publicè, solenniter, & sine fūco editis è medio gentis alterius sibi populum acceperunt, Deut. 4.

Summa capituli
11. Deut.

Triplices seductores in negotio religionis.

Falsus Prophetas.

Falsi Dij.

Æ
O
NO
OO
O
NI



v. 34. adeoq; ex patefactionibus in solidum divinis, nec nobis, nec patribus nostris ante nos, noti *Deut. 13. v. 2. 6. 13.*

V.

Tales Iudæis habebantur, sive idola, sive dæmonia sub idolis: quæ in primis nec Ægyptios in exitu Israelitarum adversus Israelitas juvare, nec Israelitis conferre quicquam potuerant.

V I.

Verus Propheta.

E contrario igitur *verus Propheta* erit perhibendus, qui veneratur, & venerandum aliis suadet verum Deum.

V II.

Verus Deus.

Verus Deus est, qui divinitatem suam perfectissimam & absolutissimam, solenniter & publicè patefecit, creando cælum, juvando Israelitas in itinere ex Ægypto, promittendo Messiam, promissumq; exhibendo, &c. quem ex illis omnibus beneficijs patres nostri & nos patrum successores, optimè norunt & novimus, *Exod. 20. 2. 17.*

V III.

Imprimis *in hoc capite* Israelitis inculcatur illud veri Dei *τηρησθε*, quod tam valida manu ipsos eripuerit Ægyptijs, & sibi, in vitis dæmonibus & tyrannis, in populum asseruerit.

IX.

Nullus enim unquam ex dijs Ethnicis, ita adjuvare, & ita ex malo eripere potuit unum hominem, cultorem suum.

X.

Pulcherr. exemplum quod Ethnicis a suis Diis in necessitate non potuerint liberari

Pulcherrimum huius asseverationis extat exemplum de Cræso rege Lydorum, *apud Herodotum lib. 1.* Qui cum in solitudinem venisset potentiam Persarum augetem, priusquam maxima efficeretur, occupandi, plurimorum deorum Ethnicorum, & in primis Delphici oraculi consilia & vaticinia, hac de re, exploranda, sibi esse, & sequenda censuit.

X I.

Cræsus suos Deos serio & munificè coluit.

Ingentibus igitur hostijs, *Deum in primis Delphicum* exorandū sibi constituens *immolavit* pecora tria millia, *misit* centum

tum, decem & septem dimidiatos lateres aureos, longos 6. palmis, breves tribus, crassitudine palmari: quorum 4. erant auri excocti, singuli pondo duorum & dimidij talenti, ceteri albi pondo binorum talentorū: Fecit leonem ex auro excocto, decem talentorum pōdo: *misit* duas grandi forma pateras auream, argenteamq; , illam pōdo talentorum octo & dimidij, *præterea* minarum duodecim, hanc sexcentarū amphorarum capacem, in quam miscbatur vinum à Delphis Theophaniæ Festo: *Misit* dolia argentea quatuor, aquiminnaria duo, aureum, argenteumq; , alia multa minora donaria, *item* fusilia ex argento orbiculata, mulieris simulachrum tricubitale, *super* hæc donavit uxoris suæ monilia à collo pendencia ac Zonas.

XII.

Pro his omnibus, ab omnibus nihil aliud responsi accepit, quam hoc, *fore ut si arma Persis inferret magnum imperiū everteretur*: Id quomodo factū fuerit, notissimū est iis, quotquot historias à primo limine aspexerunt, quando non Cyrus à Cræso, sed Cræsus, à Cyro paulò post capitur, pyræq; imponitur comburendus. Vbi tamen eum valde clamaret, extrema ardere incipientia Cyrus extinguere iussit. Quin etiam eum Apollinem Cræsus invocasset, nimbi supervenientes, omnia planè extinxerunt. XIII.

Liberatus autem petit, à Cyro, ut liceret sibi missis vinculis percontari à Deo suo, *nunquid* ei fas fuerit bene de ipso merentem decipere per oracula, quibus fretus, suscepisset expeditionem adversus Persas: *nunquid* nam puderet Deum talia suadere, undè tales primitiæ vincula nimirum, offerrentur: *nunquid* gratis Diis fas fuerit esse ingratis.

XIV.

Ecce vero responsa quænam acceperit, à Delphico: 1. *sortem* fato destinatam defugere, 2. *DEO* quoque esse impossibile 3. *ipsum* luere crimen abavi, 4. *dilatam* captivitatem ipsius per tres annos, 4. *Ardenti* opem fuisse

A 3

Quid pro laboriosissimo cultu à Deis suis Ethnicis, in dubio responsi accepit Cræsus.

Cræsus ex incendio quomodo liberatus, apud Herodot.

Cræsus ex postulat cum suo Deo Ethnico, propter admissam fraudem à Deo illo Ethnico.

Elumbis excusatio Dei Ethnici ad Cræsum facta

fuisse latam, s. *Ipsum* ex negligentia non ulterius sciscitatum fuisse de mente oraculi, utrum suas an alias opes fuisset ever-
surus: ideoq; partim aliorum culpa, partim sua incuria pes-
fundatum esse.

XV.

Sed *primum* est magnum mendacium: *Alterum* pugnat cum historia Herodoti, quæ testatur, Cræsum fuisse superbis-
simum, voluisse videri foelicissimum in toto mundo, & mo-
narcham super alios omnes, adeoq; sub excogitatis prætexti-
bus inanibus, rapuisse alienas multas terras, unde divinitus
absq; dubio, vicissim cœpit fieri præda aliorum, ut hæc sit vera
causa calamitatis Cræsi. *Tertium* non fuit in arbirrio dæmo-
nis, sed in mera voluntate divina, ut & *Quartum*, quia divinæ
fuerunt pluvix, quas falso dæmon sibi ascribit. Deniq; *quin-
tum* plus fecit contra dæmonem Delphicum quàm contra
Cræsum.

XVI.

Cur enim diligentissimo suo cultori, & clienti munifi-
centissimo, non apertius, non clarius, non distinctius edidit
ipse dæmon oraculum, Cræsus *Halyn penetrans, capiet Cy-
rum*, vel *Cræsus capietur à Cyro*: Cur Cræsi captivitatem non
avertit? Scilicet, quia non potuit. ipse non deus, sed Deo sub-
jectissimus.

XVII.

Longe aliter prædicit Micha & apertius dissipationem
exercitus Israelitici *1. Reg. 22.*

XVIII.

Itaq; , quia Delphicus Apollo, nullo satis firmo funda-
mento, & auxilio suam toties jactatam divinitatem, suis cul-
toribus solidè demonstrare potuit: pro Deo vero, haberi non
debit, sed potius ut dæmon & creatura proclamari debuit.

XIX.

In religionis enim capite, imprimis in articulo de Deo,
requi-

Quotidie inter
Ethnicos talia in-
finita contige-
runt cultoribus
Deorum Ethni-
corum.

Deus Ethnicus
impotens &
ignarus futuro-
rum decepit
Cræsum.

Cur Dæmon
Delphicus pro
vero Deo non
d. buerit haberi.

requiritur solidum stabileq; fundamentum, ne cum Atheniensibus *Actor. 17. v. 23.* ignoto Deo aras construamus, ne suffimenta faciamus diabolis, idolis, vel sanctis demortuis, ne falsos recipiamus Messias.

XX.

Agitur igitur, *in hoc capite*, non de errore aliquo simplici, nec de schismate levi, neq; de hæresi communiter accepta, sed de Idololatria, ubi præter & adversus verum Deum, idolorum seu dæmoniorum cultus introducitur & asseritur.

De quali pseudopropheta agatur Deut. 13.

XXI.

Porro pseudopropheta seu somniator Idololatricus, ex duabus notis cognosci iubetur: 1. quando non eveniunt illa, quæ prædicit, *Deut. 18. 20. 21. 22.* 2. Etiam si eveniant, quæ prædixit, si tamen illa, cum expresso verbo Dei pugnent, *Deut. 13. v. 2.* hoc est, si sint contra cultum unius Dei veri, & admittant creaturas in societatem creatoris.

Pseudopropheta Deut. 13. unde cognoscendus.

XXII.

Ad primam notam pertinent *sacerdotes Baal*, 1. Reg. 18. qui ignem à cælo, super sua sacrificia precabantur & prænunciabant, sed inani & frustraneo eventu: Item, *400 sacerdotes* 1. Reg. 22. qui regi Israelis prædicebant victoriam adversus Ramoth Gilead, iterum falsissimo exitu: Item *Hananiah*, Jerem. 28. qui servitum Babylonicam solummodo biennalem præcinebat, sed itidem mendacissimo exitu. Item in novo testamento *David Georgius* verè Idololatricus & pseudopropheta, avorum nostrorum memoria, prædixit se post triennium resurrecturum, & se verum esse Messiam: Licet autem post biennium cum semestri ex sepulchro erutus & combustus fuit, tamen tota illa (quasi Messias esset) idololatrica, & inanissima fuit Prophetia: ipsum potius pseudoprophetam execrandum fuisse, convincens. Id quod notent *David Georgiani* Idolatrici in hunc usq; diem inter Anabaptistarum carecta hinc inde passim latitantes.

Prima nota Prophetæ idolatriæ.

David Georgiani.

XXIII. Vice

XXIII.

Viceversa, veri prophetæ cognoscuntur, ex iis, quum eveniunt quæ prædixerunt, ut, cum *Elias* prædicit famem, quæ etiam sequitur 1. Reg. 17. descensum ignis è cælo, super sacrificia 1. Reg. 18. Cum *Micheas* 1. Reg. 22. prædicit dispersionem totius Israelis, in bello adversus Ramoth Gilead: cum 2. Reg. 20. *Esaias* prædicit Ezechiaæ prorogationem vitæ ad annos 15. & regressum solis, in scioterico regis, ad gradus, seu lineas, seu horas X. Cum *Ierem.* cap. 28. prædicit Haniaæ pseudoprophetæ mortem, intra annum vertentem: Quæ omnia in omnibus istis exemplis, certissimò evenerunt.

XXIV.

Et rectè *Ieremias* cap. 28. v. 9: Propheta qui vaticinatus est de pace, quum evenerit verbum Prophetæ, cognoscetur Propheta, quod miserit eum Iehova in veritate.

XXV.

Ad secundam notam pertinent magi in Aegypto Exodi 7. v. 11. qui ex concessione divina, dæmonum suorum præstigiis, in hominum oculis, phantasmata similia miraculis Moïsaicis, perficiebant, iisque regem & populum adversus Deum excecabant, & indurabant, id quod faciebant, ad defendendam idolatriam suam, & tuendum cultum idolorum, & creaturarum cæcarum (teste *Philone* in libro de *Iosepho* non longe à fine) nimirum lapidum, lignorum, argenti & auri: item taurorum, hircorum, arietum, &c. teste eodem in libro de decalogo, in explicatione primi præcepti. Vnde 2. Tim. 3. v. 8. duo ex illis magis, *Iannes & Iambres* idolatrici, duobus veri Dei cultoribus *Aaroni & Moïsi* sese opposuerunt vehementissime.

XXVI.

Huc pertinet *Bileam*, qui mali Spiritus opera, multa admiranda fecit, ut facile colligi potest ex hoc Num. 22. vers. 6. *Novi quod cui benedixeris benedictus erit, & cui maledixeris, maledictus erit.*

XXVII. Huc

Secunda nota
Prophetæ idolatriæ.

Magi quomodo
in Aegypto mira-
ta, & quo fine
secerint.

Bileam mali spi-
ritus operâ mul-
tis nocuit.

XXVII.

Huc spectat quoque *pythouissa in Endor* 1. Sam. 28. educens ex inferis Samuelem demortuum, hoc est, ex permissione divina, & ope dæmonis, producens visionem simillimam formæ Samuelis, ex qua etiam diabolus vocem, voci viventis Samuelis simillimam, personabat. Id quod dæmonibus ideo plusquam est facillimum, siquidem viventes quoad gestus, & alias circumstantias accuratissime observant, & in memoria retinent.

Samuel quomodo perhibeatur ab inferis suscitatus post mortem.

XXVIII.

Etsi autem, qualis qualis forma Samuelis reducitur, & ex ea datur Saulo responsum, tamen multis pactis, *hæc actio pugnat cum verbo Dei, quasi mortui possint revocari in hanc vitam, quasi sancti sint in potestate dæmonum, quasi ex mortuis veritatem quærere liceat, id quod sub pœna mortis omnibus fuit interdictum, Levit. 20. v. 27. Deut. 18. v. 10. 11.*

Reductio Samuelis ex inferis unde suspecta fieri debuisset Sauli.

XXIX.

Huc pertinet *Simon Magus*, qui malis suis artibus Samaritanos longo tempore ita fascinavit, ut dicerent, ipsum esse magnam Dei virtutem: Irenæus lib. 1. cap. 20. Euseb. 2. 13. Romæ volabat quidem per aerem, sed tandem crura frangebatur; Egesippus 3. 2. de excidio Hierosol.

Simon Magus.

XXX.

Huc pertinet *Cynops*, miraculis mirabilibus certans, cum Iohanne Evangelista, Ephesi, de quibus omninò legatur, de verbo mirifico Capnio, lib. 3. cap. 18. Huc referatur *Mahometes* & similes *Agyrtæ* miraculis prægnantes visi.

Cynops.

Mahometes.

XXXI.

Similiter in novo Testamento *Antichristi* adventus describitur, cum efficacitate Satanæ, cum omni potentia & signis, ac prodigiis mendacibus, 2. Thess. 2. v. 9.

Antichristus.

XXXII.

Etsi autem multa miracula pontificia fuerunt, 1. Confirma,

Finis miraculorum Antichristi.

B

Ca,

ta, quæ ad statuas excavatas contigerunt, 2. multa etiam præstigiola, ut circa sepulchra, item in ædibus defunctorum apparitiones; 3. Item Diabolica *talia multa alia*: ut quando ex hostiis consecratis, verus effluxit sanguis, Exorcistæ verè expulerunt dæmones: illic materiam aliquam suppeditante & supponente Diabolo; hinc verò eodem ad tempus & in gratiam exorcistarum cedente: Hunc tamen sibi propositum finem omnia habuerunt, ut traditiones hominum de missa, de purgatorio, de invocatione sanctorum, de primatu Papæ, *diap̄p̄d̄w* cum verbo Dei pugnantes, in animis hominum stabiliret, & sacrificulis fidem apud plebeculam imperitissimam conciliarent.

XXXIII.

Ergo si quis in politia judaica (*extra hanc enim lex illa se non extendi patitur*) Propheta, revelationibus superbiens, & miraculis qualibuscunq; clarus, sub titulo Dei & veræ religionis idololatriam antea definitam confirmare præsumserit, is nec audiendus, nec in vivis tolerandus, sed omnino necandus erit, Deut. 13. 5.

XXXIV.

Quod vero Deus talem exsurgere patitur, id facit ad tentandos Israelitas, num in persecutionibus, num in controversiis theologicis, & num in calamitatibus publicis & privatis, Deo soli, & verbo expressè revelato, unice confidere, velint.

XXXV.

Secundò multoties ad idololatriam instigantur homines ab iis, quibus propter cognationem sanguinis, affinitates, amicitiam, commune conjugium, ex abundanti amore, vel affectu simili nimis credulas præbent aures, Deut. 13. v. 6. & seqq.

XXXVI.

Sic Salomonem à gynæceo, *quod non rationabili cultu, sed sensuali fuco ferebatur*, inclinatum legimus 1. Reg. 11. ut idolis

Sido.

Quomodo cohercendus in V. T. idolatricus Propbeta fuerit. In novo Testamento si idolatricus talis exoriretur Propbeta, cum illo agendum iuxta finem disputationis s.

2. Idololatriæ amici & cognati.

Sidonitarum, Ammonitarum, & Moabitarum, non sine magno scandalo Israelitarum, excelsa erigeret, in quibus uxores eius immolabant. *Licet enim* in corde illa sacra non probaret, tamen quia juvenularum blanditiis victus, ipsis intererat & cum scandalo plus mulieribus, quam Deo obtemperabat: Idololatriæ reum agere scriptura ipsum voluit.

XXXVII.

Sic Israelitæ *Exod. 32.* vel ab intermixtis sibi Aegyptiis, vel à quibusdam ducibus Israeliticis impulsis (Deum quidem verum agnoscunt) nihilominus tamen sacra gentilia celebrant, erecto vitulo aureo *vers. 4. & 5.* sicq; idololatriæ fecibus commaculantur.

XXXVIII.

Sic *Num. 25.* filia Moabitarum multis Israelitis persuadent, ut accedant ad sacrificia Deorum suorum, Nempe cum populo Dei imprecationibus suis nocere non posset Bileam, illud consilij dederat, ut fornicationibus ad idololatriam eos perduceret, Deiq; iram super eos accerferet, (*teste Iosepho*) id quod felicissime ei successit, *teste sacra pagina.*

XXXIX.

Sic *Iesabel* Achabum regem, alioquin non prorsus malum, ad Balaismum sollicitat *1. Reg. 16.*

XI.

Huc pertinent, quotquot in viis antecessorum suorum ambulasse scribuntur, *1. Reg. 15. 3. 34. 2. Reg. 8. 27. 2. Paral. 22.* & alibi plurimi, qui nimirum non ex Dei verbo, sed ex auctoritate hominum, in religione stare volebant.

XLI.

Similes sunt illi, qui hodie pontificiã religionẽ falsã esse norunt, nihilominus tamen non modo Dominos & principes admittæ sacrificium impium, inter alios famulos comitantur, (quod excusationẽ mereri posset, *ad exemplũ Naamanni Syri 2.*

B 2

2. Reg. 5.

Virum Salomon Deum verum penitus deseruerit.

Virum Iudæi juxta vitulum aureum penitus deseruerint Deũ verum.

Israelitæ seducti a puellis Moabiticis.

Ambulare in viis antecessorũ qui dicti.

Politicus potest bona conscientia, inservire Domino, diversæ religionis. Si ipse apertè profiteatur, nec dissimulet suã religionẽ.

2. Reg. 5. 17. 18.
19.

2. Reg. 5. 17. 18. 19. si modo & ipsi apud dominos, apertè dissen-
sum suum, à pontificatu Romanensi testificarentur / sed et-
iam externis gestibus reverentia, aliisq; ceremoniis sacra pa-
pistica excipiunt, in gratiam dominorum, sacrificulis missas
celebrantibus donant & tribuunt de sua pecunia. Id quod si-
mulationis periculosa & scandalorum turpiter datorum est
plenissimum.

XLII.

Contra, licet (Anno 1530) Carolus V. Imperator, Au-
gustam Vindelicorum ex consilio pontificiæ factionis, prius
adventare nollet, nisi in ipsa vigilia corporis Christi, idq; hunc in
finem; ut protestantes ex festinatione oppressi, sæpiusq; gra-
vissimeq; moniti, & compulsi Imperatori in celebranda pro-
cessionem obedire cogerentur: Id tamen ipsi non sine pericu-
lo detrectarunt, ne sua præsentia processionem approbare
viderentur; Vide Cælestinum in historia Augustanæ con-
fessionis.

Protestantium
principum hero-
ica pietas in co-
mitionis Augusta-
nis 1530.

XLIII.

Tertiò sæpenumero communitatis totius auctoritate &
exemplo commoti alij, ad idololatriam deficiunt Deut. 13. 12.

3. Idolatriæ
communitates.

XLIV.

Sic Ezechiel. 23. duæ fœminæ, Samaria & Iudæa, Idolola-
triã exercuisse scribuntur, unde sine dubio gentes in suis im-
piis viis confirmabantur, residui puri itidem inquinabantur.

XLV.

Sic Romana Ecclesia, totum olim Romanum imperium,
ut de aliis extra illud nihil dicam, seduxit, ut vere dicatur Ba-
bylon mater magna scortationum, & abominationum ter-
ræ, & ebria sanguine sanctorum, & sanguine martyrum Iesu,
Apocal. 17. 5. 6. Sic adhuc hodie pontificij nos refutare volunt,
eo argumento: quod plures stent, & steterint, ex ipsorum par-
tibus, quam ex nostris, patres, reges, provinciæ, &c.

Romana bestia,
seductrix totius
imperij Romani
& ultra.
Stultissimum ar-
gumentum, cur
Pontificia reli-
gio sit ample-
ctenda.

XLVI. Et si

XLVI.

Etsi autem, in novo quoq; testamento, ab iis ipsis duci-
bus sæpenumero alios seduci jam modo ostendimus: tamen
cum Christus *Matthæi 7.* jubeat cavere à pseudoprophetais,
(non illos occidere) eosq; ex fructibus cognoscendos esse
demonstret: hac de re paucissima annectere placet.

XLVII.

Et initio sciendum est, quod in Novo Testamento, vo-
cabulum, pseudoprophetarum, pseudoapostolorum, & hære-
ticorum, non per omnia accipiatur ut in Veteri Testamento,
vocabulum Prophetarum falsorum & idololatricorum: sed
generalissime *pro quibusvis 1. Contra scientiam 2. pertinaciter.*
3. in fundamento (quod est Decalogus & articuli fidei) er-
rantibus, & alios seducentibus: qui nimirum Christum talem
non prædicant, qualem viderunt & agnoverunt patres nostri,
hoc est, apostoli, & eorum successores, à quibus ei usdem ve-
ram historiam, & notitiam, alii subinde aliiq; acceperunt, &
ad nos transmiserunt.

XLVIII.

Multi enim sunt doctores, qui propter gloriam, propter
commoda temporalia, ad conservandam dignitatem, ex æmu-
latione, etiam convicti, tamen cedere nolunt, aliosq; sibi opo-
sitos reddere nituntur.

XLIX.

Porro, quia Salvator noster in Euangelio, pseudopro-
phetas agnoscere jubet ex fructibus ipsorum, idcirco nunc
quæritur, quinam sint intelligendi illi fructus pseudoprophe-
tarum.

L.

Romanenses ad miracula nos remittunt, præstanda à do-
ctoribus. Sed initio illis opus fuisse ad confirmandam Euan-
gelij auctoritatem, optime novimus; hodie post satis confir-
matam doctrinam, nulla amplius requirere debemus, Imo quia

*Pseudoprophetae
in N. T. qui?
Fundamentum
in religione
quid?*

*Cur scientes &
pertinaces sint
hæretici.*

*Ex fructibus eo-
rum agnosce-
tis eos.*

*Miracula non
sunt fructus Pro-
phetarum.*



adventus Antichristi dicitur esse cum signis mendacibus futurus *Matth. 24. 2. Thess. 2. Apocal. 13.* errare dicimus, tum qui à doctoribus miracula expectant, tum si qui eadem præstare præsumunt & audent doctores.

L I.

Primum genus fructuum.

Fructus isti rectè omnium omnino sunt referendi ad ipsum genus docendi: quia auditores decet examinare, ad Lydium divini verbi lapidem, doctrinam à doctoribus propositam.

L II.

Inter Turcas solitarie viventes & rudissimi rustici cupiunt salvari omnes & singuli.

Neq; est, quod hac in parte sese excusari posse putent ipsi rustici simplicissimi, & in extremis solitudinibus habitantes; adeoq; nunc inter Turcas medios, Tartaros & Ethnicos adhuc delitescentes. Omnes enim & singuli in suis cætibus, audiunt jactari, verbum Dei, verbum Dei, verbum Dei, audiunt de æterna salute, post hanc vitam expectanda, eamq; desiderant omnes, ne uno excepto.

L III.

Ergo inter Turcas etiam solitarie habitantes & rudissimi rustici debent diligentissimè inquirere de vera via ad salutem.

Sicut igitur rudissimi non statim credunt, cuius aliquid mandanti, & vectigalia exigenti nomine Imperatoris Turcici vel Tartarici, sed ex aliis in oppidis & pagis de veritate ipsa rerum illarum temporalium, sollicitissimè inquireunt, ne diutius & læpius decipiantur; ita ipsi tenentur, tenentur dico, in spiritualibus, similem, imo majorem, navare sedulitatem, ut cognoscant, quodnam pro verbo Dei, seu mandato DEI legitimè habere debeant, ne olim salute frustrentur.

L IV.

Rustici Turcici unde habeant occasionem inquirendi de veritate religionis sue.

Possunt hoc eo facilius præstare, quia nulla est terra inter Turcas, & Tartaros, nullus est angulus, ubi non sint captivi Christiani, è quibus audire hoc poterant, nullus est locus, ubi per annum non commemorentur, aliquoties Christianorum nomina, provinciæ, militiæ, arma, studia, artificia, &c.

L V. Si

L V.

Si igitur inquirunt simplici ores Turcæ & Tartari, de ci-
vitatibus, de auri fodinis, de militia, deq; similibus Christia-
norum, capiendis & facilimè occupandis ac servandis, cur
quæso non multo magis, investigant religionem eorundem
simili astu & studio.

LVI.

Et postea cum de religione nostra aliquid audiunt, cur
quæso tam oscitanter audiunt? cur non altius scrutantur?
cur non conferunt cum animo suo, & cum alijs vicinis, de
isto ipso negotio? sic enim tandem ad veritatem propius ac-
cessuri essent, utrum esset verè verbum Dei, quod ipsi jactāt,
aut quod nos jactamus? utrum non errent in causa salutis?
Si mercatores ex Polonia in Hispaniam excurrere possunt
mercium causa, cur salutis causa idem non faciunt alij.

*Rustici Turcici
per oscitantiam
negligunt occasi-
onem inquirendi
de veritate sue
religionis.*

LVI.

His ita præmissis, id est, ubi ex hac inquisitione cognove-
rint, quodnam verè sit verbum Dei, tunc illud eos attente &
sæpissime postea audire ac memoriæ quàm firmiter infigere,
præsertim illas partes, quæ ipsis sæpius & quotannis præle-
guntur; illa item dicta, quæ sæpius in concionibus citantur,
ruminare decebat, & ad exemplum Berrhoensium Act. 17. 11.
attendere, utrum doctorum explicatio congruat cum τὸ πρῶτον
& fundamento illorum doctorum.

*An, & quomodo
nostri rustici, pa-
storum conciones
probare possint.*

LVII.

Si enim rusticus scrutatur singulas particulas testamenti
paterni, latinorum terminorum explicationem petit ab ad-
vocatis undiq; conquisitis, si de singulis, ipse suas cogitatio-
nes in iudicium adhibet, nec per omnia confidit sententiæ
advocati, quod ab advocatis multos deceptos, audierit:
cur non, per DEUM æternum, & immortalem,
multo

*A minori ad
maius.*

Hoc ipsum Tar-
taricos & Tur-
cicos idiotas fa-
cere, par est.

Ex Alcorano fa-
ma de Christo
ad Turcas quoti-
die venire potest
& solet.

Narratio ex
Constantinopoli
anno Christi
1539. ad diem 23.
Augusti ad ami-
cum scripta ab
amico sine no-
mine addito ty-
pisq; commissa.

multo, multo, multo magis simile studium in cognoscendo vero intellectu sacrae scripturae (de persona Christi, de Coena Domini, de justificatione hominis peccatoris coram Deo: utrum missa & invocatio sanctorum, sint fundata in verbo Dei? utrum Mahometana *μολυμαία*, & similia, sint verè verbo Dei comprehensa?) collocare decebat omnes laicos, inter medios Sacramentarios & Papistas. Luc. 16. 8.

LVIII.

Hoc pacto examinati in ultimo die simplicissimi, & rudissimi rustici Turcarum & Tartarorum, ne dum Germanici, Italici, Hispanici, &c. si decipiantur, aliis omnibus excusationibus spoliati, coram Filio Dei, cum magno suo malo obmutescant, & confusi peribunt. Matth. 7. 21.

LIX.

Ecce enim, quod plusest, etiam in Alcorano fama & noticia, de Messia nostro extat, quod de virgine natus fuerit, quod grandis factus suscitavit mortuos, mundaverit leprosos, illuminaverit caecos, & solo verbo, cuiusque generis agros curavit, quod in caelum ascenderit, *quae etiam citat Galatinus lib. 2. cap. 6.*

LX.

Extat etiam narratio, de occisis multis sacerdotibus Turcicis, ab imperatore Turcico sub annum Christi 1539. quia, *utrum Christiana, an Turcica fides verior esset, severissime & sub summa conscientiae religione interrogati, post multas tergiversationes responderant, Christianam esse veriore.* Id quod hac ratione probaverant, quod in Alcorano scriptum extet, quod Christus sit in septimo caelo, apud magnum Deum, & quod Gabriel cum Machomete, humiliter adoret Christum, eiq; tanquam Domino, se commendet, sicut etiam se commendet Iohanni, Mosi, & aliis Prophetis, ut pro ipso intercedant, apud magnum Deum, & apud Christum Iesum.

LXI. Hinc

LXI.

Hinc igitur concluderunt, & imperatori suo indica-
runt Sacerdotes: 1. Christum secundum illum textum esse
vivum, cum sciant Mahometem esse mortuum & Mechis se-
pultum: 2. stultissimum esse adorare Mahometem, cum
constet Christum esse ipso majorem, & Dominum qui a Ma-
homete adoretur.

LXII.

DEINDE fructus, qui pseudoprophetas produnt,
sunt vitæ, tum prophetarum, tum auditorum, tanquam fructus,
qui consequuntur ex doctrina ipsorum. Vita sancta, ex dilecti-
one in Deum, & fide in Christum, benedictum semen mulieris,
doctrinam sanctam: Vita impura, plena communium bla-
sphemiarum in Deum, in Dei naturam, proprietates, & in
Christum, plena item odiorum, seditioum, homicidiorum,
scurtationum, levitatis morum, & licentiæ publicæ, desperatio-
nis, dubitationis, ita nimirum ut ex ipsa doctrina hæc exorian-
tur, ut apud Anabaptistas & similes, doctrinam impuram ar-
guit.

*Secundum genus
fructum apud
Pseudoprophetas*

LXIII.

Sic enim Christus Matth. 7. vers. 19. *de doctoribus: Om-
nis arbor quæ non fert fructum bonum, excinditur, & in ignem
conjicitur:* Id quod Matthæi 3. vers. 10. ad Phariseos & Sa-
duceos, *tanquam auditores* Iohannis baptistæ refertur. Non
autem dicit, *omnis arbor, quæ facit fructum malum, excindi-
tur, quia hoc per se constat:* Sed *omnis arbor, quæ non facit
bonum. Securis enim posita est, non tantum ad radicem arbo-
ris malæ, sed etiam ad radicem arboris sterilis.*

LXIV.

Per hoc secundum genus examinandi doctrinam
Prophetarum, omnibus omnis errandi ansa præscinditur, &
ratio ipsa per se extra verbum novit: vitia non posse proveni-
re, ex

*Omnia causa per-
ditionis in homi-
nibus, nulla in
DEO.*

C

do
Do-
pif-
Ma-
en-
ra-

ru-
ni-
cu-
alo

no-
rit,
o-
eris
Ga-

ur-
uia,
sub
rsa-
hac
iod
uod
eiq;
ndet
pud

hinc



re, ex vera & bona doctrina. *Romanorum 2, 14. 15.*

LXV.

Ceterum de idolatris & hæreticis veteris & novi Testamenti coërcendis dictum est disputatione quarta.

LXVI.

De idolatris & hæreticis puniendis.

Quæstio 1. quid faciendum sit subditis, si magistratus sit hæreticus.

Quæritur autem hoc loco, quidnam faciendum sit, si idolatria & hæresis in Novo Testamento invaderet ipsum magistratum, isq; eandem subditis amplectendam sub pœna præscriberet? Respondetur ex Augustino: 1. Tum nihil bonis restare, nisi dolorem, gemitum, & orationem; *Ierem. 29. 7.* 2. Tandem patientia opus esse in persecutione & exilio, si deprecationes, & intercessionem humilimæ, nihil valeant, & aliter fieri nequeat, per casum confessionis, etiam apud privatas personas. *Matth. 19. 29.*

LXVII.

Potius enim Christi, & veritatis causa deserenda sunt omnia, omnia vendenda, fugiendum ad alias urbes *Matth. 10. 23.* *Luther. tom. 6. Germ. Vit. 588, 595. b.* quam aut in gratiam principum, & potentiorum adulandum, & veritas dissimulanda: *Hebræor. 11. vers. 24, 25. 26.* aut contra verbum Dei seditiones movenda, vel arma sumentia adversus magistratum *Luther. tom. 6. Germ. Vit. fol. 59. 2. Cor. 12. 20. F.*

Non adulandum in religione.

Arma propter religionem a subditis non sumentia.

Quæstio 2. Vtrum blasphemii Iudæi in scripturis principum Christianorum sint tolerandi.

LXVIII.

Quæritur item hoc loco non immerito, de Iudæis in Novo Testamento, qui non tantum Messiam exhibitum agnoscere & colere detrectant, Sed etiam quotidie ejusdem nomen personamq; majestatem tetræ blasphemis persequuntur: matrem item ipsius injuriosis conviciis & diabolicis dictis proscindunt: Christianis omnibus execrabiles maledictiones imprecantur: totius Romani imperij navem de seipsum exoptant, & expectant; imo à Deo quotidie exoptulant precibus: Usuris inestimabilibus nostros homines exhauriunt: nulli honesto artificio manuario vel agricultu-

*cultura assuescunt: saepenumero fontes inficiunt, & alijs modis
vita nostra insidiantur: pravas opiniones inter imperitos disse-
minant: num isti tolerandi sint in territorijs principum Chri-
stianorū? R. optime suavisse & facere coepisse multos Chri-
stianos monarchas & principes, qui è Romano imperio in A-
siam ad fratres suos Turcas, eosdem remittere jamdudum
consueverant.*

LXIX.

Quibus vero adhuc Iudæos tolerare visum fuerit, pro-
pter illud Rom. 9. 3. 4. 5 & 11. 28. strenuè hoc sibi sub gravissi-
ma admonitione divina annitendum esse, benè & probè, quo-
tidieq; meminerint: *ut sub multa, carceris, exilij, deportationis
fustigationis, atq; ultimi supplicij metu, istorum usuras, convitia,
blasphemias imprimis & similes machinationes compescant, par-
tim juxta constitutionem Imperij, prolatam Anno Christi 1530.
partim juxta legem Iudæorum propriam, seu Mosaicam: cogant
etiam ut audiant nostras conciones, & cum eruditis Christia-
nis sapius conferant.*

LXX.

Qua de re, legatur eruditissimus tractatus D. Lutheri,
de Iudæis & eorum mendacijs Tom. 7. latino V Viteberg.

LXX.

Sed adhuc unam huic loco congruentem quæstionem,
proponere placet, *an quod multi volunt, ad nullam religionem
cogendi sint homines, contra conscientiam, ut loquuntur, & an re-
ligionis, qualis qualis illa fuerit, exercitium singulis & uni-
versis, citra omnem contradictionem liberrimum relinqui
debeat,*

LXX.

Ad quam antequam respondeamus, initio accuratissimum
constituendum est discrimen inter scientiam & inter consci-
entiam, ut pote quo vel solo negotium totius responsionis,
expeditum dabimus.

C 2

Scien-

*Quomodo Iudæi
in territorijs
Christianorum
tolerari queant.*

*Virum ne con-
tra Turcas &
Iudæos etiam
crebrius scriben-
dum, an non co-
gitent eruditi.*

*Quæstio 3. V-
trum ad religio-
nem cogendi sint
homines nec ne?*

Scientia quid.
nam hoc loco vo-
cetur.

LXXIII.

Scientiam hoc loco pro sola & nuda noticia historica, & recordatione historica, ac testificatione gestorum vel non gestorum accipere nobis liceat.

LXXIV.

Verbi causa in Ethnico, Turca vel Iudæo, hæc est nominanda scientia, qua eorum unusquisq; novit, recordatur, & testificatur, *hæc hanc* & *hæc* fuisse patris sui Ethnici, Turcici, Iudaici, Ethnicam, Turcicam, & Iudaicam religionem, & in *hac hac* & *hac* se quoq; à teneris vnguiculis & incunabilis informatum, se *huic, huic* & *huic* assuevisse, & quod *eam, eam,* & *eam* cum lacte materno imbiberit.

LXXV.

Absurdissima
absurditas, ideo
non velle cogi ad
religionem ali-
am, quia alteri
assueveris à pue-
ritia.

Ecce igitur, quanti nam haberi debeat responsio hominis Ethnici, Turcici, vel Iudaici, quæ ad Christi Iesu fidem convertere satagimus, ita tibi respondentis: quod patriam & vitam hanc, sive Ethnicam, sive Turcicam, sive Iudaicam religionem deserere non possit, ne contra conscientiam (*Scientiam autem debeat dicere*) agere velle, & cogi videatur. Ezech. 20, 30.

LXXVI.

Sic omnes reli-
giones pro veris es-
sent habenda

Etenim si hanc militare passi fuerimus ratiunculam, utiq; *omnium, omnium, omnium* Theologorum Arrianorum, Pontificiorum, Sacramentariorum, Anabaptistarum opiniones *omnes, omnes, omnes*, de quibusvis punctis & quæstis, ab unoquoq; conceptas, à patribus suis haustas, & plerunq; inter se ipsas *dis dia πᾶσων* pugnantes, adeo inconcussas relinquere cogemur, ut alteram alteri in veritatis scrutinio & examine præferre nunquam audeamus.

LXXVII.

Ante omnia
quaerendum que
nam sit vera re-
ligio.

Quo ipso nihil magis absurdum & impium extogitari posset, quasi hæc esset vera Theologia, quam professi sunt u-
nius

nius cuiusq; hominis majores & antecessores, cui per multos annos assuefactus est ipse, quæq; sola ipsi quam optime cognita est.

LXXVIII.

CONSCIENTIAM in hoc negotio indigitabimus; tum notitiam rerum historicam, tum de rebus quæ sciuntur ex accedente diligenti præmeditatione & ad principia revocata collatione formatum animi iudicium. Rom. 2. 15.

Conscientia hoc loco quidnam vocetur.

LXXIX.

Principia verò in puncto religionis vetæ, verbum divinitus revelatum intelligimus, Deut. 12, 32. cujus auctoritatem divinam etiam Ethnicis, ne dum alijs, quo modo instillare & confirmare debeamus, dictum est disputatione prima.

Principia religionis vera.

LXXX.

HOC stante, jam quilibet largietur, illam religionem solum modo veram esse, quæ congruit cum sacra scriptura, quam etiam quilibet unice circumspiciet, quænam sit illa, num sua, num alterius, & inventam unice probabit, immo ad illam sese perducere haud gravatim, sed lubens libensq; permittet Galat. 1. 8.

Vera religio quæ

LXXXI.

HOC ita demum recte fiet, si duo extrema studiosissime declinanda esse pii meminerint: quorum alterum promiscuam & plenam licentiam; alterum tyrannidem, vocare possumus. Qui enim singulis & universis hominibus, pro cuiusq; lubitu, religionis cuiusvis, quam volunt, exercitia indulgenda esse opinantur, illi profecto omnium maximam pestilentissimamq; licentiam in orbem terrarum introducunt, adeoq; atheismo (qui omnem ex animo peccandi, adeoq; mortis æternæ metum eximit) latissimas fenestras aperiunt.

1. Extremum Licentia omnium religionum est res perniciosissima, & intolerabilis.

Vna sola vera religio.

Non reducens errantē idem facit ac si eum in errorem abduxisset.

A minori ad maius.

extremum, Tyrannica coactio per bella & similia ad religionem aliam est res impia & execranda, Luther. tom. 6. Germ. VVieb. de magistratu politico parte 2 fol. 599. rubrica wie weit sich weltliche überkeit.

LXXXII.

Id quod tam flagitiosum est, ut pluribus, apud sanæ mentis homines argumentis refutari opus non habeat. Non enim nisi una potest esse veritas & via ad vitam æternam, à qua qui alios errare videt, nec in viam reducere adlaborabit, imo sua licentia & indulgentia in mortis æternæ præcipitium prolabi patietur, is perinde habendus erit, ac si ipse sua manu eosdem Diabolorum potestati tradidisset.

LXXXIII.

Si enim proximi tui iumenta (*Deut. 22. vers. 1, 2, 3, 4.*) errantia aut laborantia curare & iuvare decet, quanto magis fratres tuos in periculo animarum constitutos, eripere decet.

LXXXIV.

Viceversa, qui subito, violenter, & sub metu gravissimarum pœnarum, exilij, depositionis, confiscationis bonorum, fustigationis, interdum etiam mortis cruentissimæ, adeoque vi & armis, alios ad aliam religionem licet veram, & per se puram, salvificamq;, nondum tamen errantibus satis explicatam, & ab ijs nondum satis agnitam, & in conscientia comprobatam, ne dum ad impiam & falsissimam ut *1. Macc. 1. 50.* cogunt, illi gravissimæ tyrannidis notam incurrunt.

LXXXV.

Et sicuti summæ levitatis est, ex adulatione, ex spe lucri & honoris, ex studio contradicendi, & iniquè faciendi alijs, in gratiam aliorum, verbis comprobare illa, quæ cōscientia tua nondum probat: Ita etiam extremæ immanitatis est, ante sufficientem & plenam informationem alios cogere, ut in tua verba, inq;, tuam sententiam conjurent.

LXXXVI.

Babylonicæ meretriculæ hætenus usitata fuit methodus

us illa, id quod testantur, Hispanici, & Gallici, corporum & animarum conscientiarumq; tortores, de quibus, ah quam nimis multa, sed vix sine lacrymis perhiberi & audiri poterant. Apoc. 17. 6.

LXXXVII.

Et cum omnino violentissimum sit hoc inventum, nulla verò violentia diuturna, idcirco experientiam testem habemus, ex talibus coactionibus hypocrises, ac simulationes prodixisse, & postea aura sibi feliciori descivisse catervatim, qui prius coacti aliam sententiam sumere soliti fuerant.

LXXXVIII.

Medio itinere, inter duo illa meritissimò damnata itinera, seu extrema, incedere quo vis tēpore solita fuit vera ecclesia. Hac à veris sententijs & à suis sacris alienos non cogit, sed invitatur, non rapit, sed velut ovem pramonstrato viridi ramo ad se alliecit. Itaq; ex verbo Domini, non semel, sed diutissime, sufficientissimè, & sapientissimè, observatis plurimis gradibus doctrinarum, & admonitionum, non gravatè, sed patientissimè, non stomachosè, sed sine contumelijs & opprobrijs, lenissime alios docet, & ita informat, ut sese tandem convictos ex conscientia & sponte fateri cogantur: tandemq; in vera sententia suaviter acquiescant, & hanc, & non aliam esse veram religionem, ipsi met libentes, lubentesq; confiteantur, adeoq; volentes ad veram religionem transeant, Prov. 15. 7. & 16. 21. & 17. 10.

LXXXIX.

Illud feliciores habebit progressionem, si cum diligentia, prudentia, & clementia, informator etiam serias & quotidianas ad Deum supplicationes pro convertendis errantibus conjunxerit. Act. 8. 15. 17. & 19. 6.

XC.

Nez tamen morosorum & pertinaciorum conscientias urgens

Nullum violentum diuturnum presertim in coacta religione.

Vera Ecclesie in vera religionis propagatione divinus modus.

Ab hoc medio aberrat Susseibulum principum inclinans nimium quantum in latum extremum alterum profane licentie.

Preces in collationibus, de religione magni sunt momenti.

urgente necessitate, divinarum pœnarum & maledictionum
sævissimarum stimulis, sapienter & cautè stringere erit in-
conveniens, vel inutile 2. Cor. 7. 8 & seqq. Tit. 2. 15. Atq; sic
neq; officio suo deerit, neq; tamè conscientijs laqueos paral-
se, jure perhibebitur Ecclesia, sed declinando utrumq; vicio-
sum extremum mediam, fortunatissimamq; navigationem
ad Deum perficiet.

XCI.

*Alios converte-
re errantes de-
bet non tantum
Pastor sed etiam
quovis vicinus,
amicus, sodalis
&c.*

Intempestiva clementia & licentia religionis cujusvis, pa-
rit religionis contemptum, & contempta religio habet Deum
ultorem, non tantum in contemnente, sed etiam in conni-
vente, id quod infra deducetur. *Vice versa inclementia,* &
fervor intempestivus, confusionem pariturus esset omnibus
coram omni electorum cœtu, illis, qui fratres cum toleran-
tia informare non potuissent, pro quibus tam multa tulit &
tam patientissime sustinuit Dominus noster Iesus Christus.

XCII.

*EX CAPI-
TE XIII.
DEUTERO.
NOMIL.*

Facimus nunc accessum ad caput Deuteronomij 14. quod
tribus absolvitur dogmatibus, nimirum 1. de luctu pro
mortuis moderando 2. qui fuerint mundi, qui verò im-
mundi habendi cibi apud Israelitas, hoc est qui concessi, qui
verò interdicti ipsis. 3. de oblatione decimarum, & primo-
genitorum. *De ultimo infra, cap: 15. & 26. de prioribus duobus
in presentia agetur.*

XCIII.

*1. De luctu pro
mortuis, apud
Ethnicos.*

Quod ad luctum pro mortuis attinet, apparet ex Levitici
19, 28. & ex hoc proposito textu Deuteronomij, quod Ethnici
inciderint corpora sua cultellis, unguibusq; cutem ut san-
guinem elicerent: item quod capillos detonderint, aut evul-
serint, ut formam faciei contaminarent.

XCIV.

Scythæ.

Sic scythæ, mortuo rege tanquam plus dolituri, aurem si-
bi de-

bi decidebant, crinem circumtondebant, brachia incidebant, frontem, nasumq; lauciabant, sinistram manum sagittis traiciebant, teste Herodoto.

XCIV.

Pythius Bythinus impar dolori ob interemtum filium, in monumentum se coniecit, quod ipse in tumuli vertice excitat, ibiq; flebiliter vitam complevit. *Cælius lib. 19. cap. 18.*

Pythius.

XCVI.

Apud antiquissimos *Cartaginenses*, lex fuit, ut ad filij mortem patri, aut patris mortem filio, aut conjugis marito, aut mariti conjugis indicandam nemo mitteretur, nisi ad mortem damnatus, qui statim occisus, vulnus amplius refricare suo conspectu non poterat. *Guevara in Aurel. lib. 3. cap. 40.*

Cartaginenses.

XCVII.

Ex alijs scriptoribus alia possumus impatientiæ, & desperationis, afferre argumenta, ut quod apud *Herulos* ad sepulchrum mariti, laqueo sese uxor suspendebat, teste *Procopio de bello Gothorum lib. 2.* quod multi seipsos, rogis defunctorum tradebant, ut pariter absumerentur: quod multi alijs modis violentas manus sibi ipsis inferebant: teste *Alexand. lib. 1. c. 2.*

Heruli.

XCVIII.

Cur nonnulli mortuos immò morituros & adhuc exspirantes a vibus & canibus objecerint, beatosq; pronunciarint qui ab istis citius absumerentur. *apud Diodorum lib. 17. Cic. 1. Tuscula:* Cur nonnulli mortuos suos ipsi devorarint? quid dicemus, nisi forsitan hoc, quod illi naturæ affectus superare, adeoq; mortuorum & dolorum memoriam omnem ex conspectu & corde citius abolere, hi vero in quale quale solatium eorundem essentiam intra suam servare voluisse visi fuerint.

Horrenda.

XCIX.

Quid animi sub ethnicis fuerit *praesertim* captivis in carcere

D

cere

*Absq; dubio
multi tales hor-
rendo modo de-
sperarunt.*

Horrendisq;

*Causa impati-
entiae in Ethnicis
super defunctis.
1. Tbess. 4. 13.*

*De luctu pro
mortuis in popu-
lo Dei.*

*Vide X. perse-
cutiones quibus
horribiliter af-
flicta fuit primi-
tiva ecclesia.
N. T.*

cere squalidissimo ultimum supplicium expectantibus? *quid* animi coniectis vivis in profundissimam & caliginosam fo-veam, plenam cadaveribus apud Lacedaemones, ut sensim ex-tinguerentur, Pausan. in Messen. *Quid* animi, culeo incerato, & nullâ aquam transmittenti, & quidem cum simia, cane, gale-
lo, vipera, inclusis & in flumina projectis? *quid* animi, virgi-
ni vestali in cellam subterraneam undiq; terris congestam, &
coæquatam, detrusæ, cum relicta lucernâ, ad aliquot dies, ut
ibi vitam finiret *Plutarch. in Numa Pompil.* sine extremo hor-
rore vix cogitare, æstimare verò satis non licet.

C.

Id quod omne factum est, præ impatientia doloris, & ex-
ignoratione resurrectionis carnis, quod in morte cognatos &
amicos, postremum sibi vivos putarent. Vnde rursus aliqui in
consolationem qualemcunq; cadaverâ etiam gypso, aroma-
tibus, melle & alijs plurimis comburere, cineresq; collectos,
& preciosissimis vasis inclusos diutissime asservare, cum aliud
præstare non possent, nitebantur.

CI.

Cum enim ipsis amara non posset non esse mors suorum,
quorum dulcis erat vita: hinc doloris ulcus tanto profundius
in corde serpebat, quanto animus consolationum de spe vitæ
recuperandæ inanior.

CII.

Longe autem aliter cruentissimas mortes tulerunt pij
martyres, ut mater cū filijs 2. *Macc. 7.* & alij in persecutionibus
recentioribus, post excoriationem sale & aceto perfusi, crati-
culis impositi, patibulis inflexo capite affixi, inflexis opposita-
rum arborum ramis discerpti, apud Alexandriam truncati
naribus, auribus, natibus, manibus, & reliquis extremitatibus,
ubi truncum abire jubebant derisum, hostes isti cum dolore,
de quibus in Historia Ecclesiastica,

Piis

CIII.

Piis quippe nota fuit ex verbo Dei immortalitas animarum, & resurrectio carnis, quam utramq; ignorarunt Ethnici.

CIV.

Vnde Athenis Epicurei & Stoici Actor. 17. nugatorem exhibendum censent Paulum Apostolum, quod resurrectionem mortuorum predicaret, atq; Cæsareæ Festus eundem insanire putat; adeoq; multis literis ad insaniam conversum eadem de causa, Actor. 26.

CV.

Unde Augustinus sermone secundo super Psalm 88: In nulla re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixè & contentiose contradicitur fidei Christianæ, sicut de carnis resurrectione.

CVI.

Idem ibidem de Philosophis: Cum ventum fuerit ad resurrectionem carnis, non titubant, sed expressè contradicunt, & contradictio ipsorum talis est, ut dicant: fieri non posse, ut caro ista terrena possit in cælum ascendere.

CVII.

Interim tamen negare non possumus, extare in scriptis Philosophorum, utriusque, animarum scilicet immortalitatis, & resurrectionis carnis non obscura documenta, nimirum apud illos Philosophos, qui ex patrum doctrina in peregrinationibus, vel alterutrum, vel utrumq; cognoverunt, adeoq; à patribus acceptum scriptis suis inseruerunt.

CVIII.

Nam de animarum immortalitate Philosophis ex se ignorata luculentissimum extat testimonium Iustini Philosophi & martyris in disputatione nostra 3 thes. 31.

D 2

Ad

Causa patientie mortis in populo Dei.

Philosophi Athenienses.

Festus Præses.

Augustin.

Augustin.

In Ethnicis scriptis extat mentio immortalitatis animæ & resurrectionis carnis, unde.

Iustinus.

quid
fo-
n ex-
rato,
gal-
irgi-
m, &
es, ut
hor-

& ex
cos &
qui in
oma-
ectos,
aliud

rum,
ndius
e vitæ

nt pij
nibus
crati-
osita-
ncati
tibus,
olore,

Piis



CIX.

Ad carnis resurrectionem quod attinet, Democritum deridet *Plinius lib. 7. cap. 55.* rem ipsam ex se ut Philosophus exastimans, quod dixerit iste, iterari vitam post mortem. Sed unde hoc habuerit Democritus, docebit *Diogenes Laërtius* in vita Democriti *lib. 9.* ubi commemorat, quod Democritus audiverit sacerdotes in *Aegypto*, & *Chaldæos* in *Persia* & ad rubrum mare. *Aegyptiaci* igitur sacerdotes ex patribus illud didicerunt, & peregrinantibus Philosophis græcis communicarunt.

Diogenes

CX.

Eusebius quoque *lib. 11. preparation: Evangelic: &* mutationem mundi & resurrectionem, & iudicium apud inferos, ex *Mosaica* doctrina accepisse *Platonem*, refert, astipulante *Ludovico Vive* super *22. lib. 27. cap. Augustin. de civitate Dei.* Vide quoque *Iustinum in paraclesi ad gentes.*

Eusebius

CXI.

Narrat quippe *Plato*, exacto tempore defuturum terrenum genus, mundumque insolitis moribus agitatum & concussum iri, cum ingenti animantium omnium pernicie ac clade, post aliquantum deinde temporis conquieturum opera principis Dei, qui ne concidat intereatque mundus, gubernacula eius recipiet, addetque illi sempiternam juventam & immortalitatem.

Vide apud Ludovic. Vivem; loco citato.

CXII.

De hoc *August. lib. 2. cap. 28:* Nonnulli nostrum propter quoddam præclarissimum loquendi genus & propter nonnulla, quæ veraciter sensit, amantes *Platonem*, dicunt, eum aliquid simile nobis etiam de mortuorum resurrectione sensitse, quod quidem sic tangit in *lib. de republ: Tullius*, ut eum lusisse potius, quam quod id verum esset, affirmet, dicere voluisse. Hac ibi.

Augustin. de Platone.

CXIII.

Idem capite præcedente: singula quedam dixerunt *Plato atq;*

atq; Porphyrius, quasi inter se communicare potuissent, facti es-
sent fortasse Christiani. Plato dixit, sine corporibus animas in
eternum esse non posse: Porphyrius autem dixit: animam pur-
gatissimam cum redierit ad patrem, ad hac mala mundi nun-
quam esse redituram. Hæc ille.

CXIV.

Idem paulo post: Dicat itaq; cum Platone Porphyrius, re-
dibunt ad corpora: Dicat Plato cum Porphyrio, non redibunt ad
m. la. & ad ea corpora redire consentiunt, in quibus nulla mala
pa. rantur. Hæc ille.

CXV.

Huc facit, quod Ludovicus Vives super lib. 22. cap.
28. Augustini de civitate Dei, ex Lactantii lib. 7: verba Chry-
sippi ex libro ejusdem de providentia refert hæc, De sanctos
jam vita, certis temporum revolutionibus exactis rursus in eam
quam nunc habemus faciem restitutum iri, Ἡμᾶς μετὰ τελευτῆσαι
πάλιν ἀειδῶν πινῶν εἰλυμένων χρόνῳ ἐς ὅν ἔσμεν ἀποκαταστήσασθαι
χῆμα.

CXVI.

Ut ut autem tanquam per speculum quoddam hanc in
rem intuiti fuerunt ethnici, tamen parvum vivi solatij com-
modum inde percipere potuerunt. Non enim tanta inest
efficacia humanis monumentis, nullo spiritu omnis consola-
tionis tinctis, atq; divinis verbis, præsertim in tanto casu hu-
mano.

CXVII.

Etsi igitur ad Ciceronem undiq; quibus quibus argu-
mentis ob mortem filiaæ consolandum confluebant Philoso-
phi, ipse quoq; scribebat suam & legebat aliorum consolatio-
nem, tamen quam primum libros deponebat in pristinam lu-
tus inexhausti sentinam recidebat, Fabric. Marcoduranus in
historia Cic. fol. 33.

D 3

Contrista

Augustin. de
Platone & Por-
phyrio.

Ludo. vives

Cicero.

Consolationes
Christianorum in
morte suorum,
suaq.

Mors temporalis
quid non sit, &
quid sit.

An Ethnici sint
salvi futuri.

CXVIII.

Contristamur autem nos quoq, in nostrorum mortibus, verum secuti Mosen & Apostolos 1. Thessal. 4. 13: *necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi, inde angimur, hinc consolamur, inde infirmitas afficit, hinc fides reficit, inde dolet humana conditio, hinc sanat divina promissio, secundum Augustin: serm. 32. de verbis Apostoli.*

CXIX.

Novimus nos, mortem temporalem esse, *non per se naturalem vel connaturalem, sed divinitus destinatum, Gen. 2. vers. 17. & quidem temporalem & horribilem divulsionem animae à corpore idq, propter peccatum, Gen. 3, 17, 18, 19. Psal. 90. 8. 9. Rom. 5. 12. & 6. 23: (ita ut corpus ad tempus pereat Gen. 3, 19. Psal. 90, 3: anima vero corruptionis interim sit expers: Ecclesiastes 12. vers. 7. Psal. 31. vers. 6. Matthæi 10. vers. 28. Lucæ 16. vers. 22. & 23. vers. 43. 46.) ideoq, mortem non esse abruptionem omnis vitæ. Gen. 5. 24. 2. Reg. 2. 11. Daniel. 12. 2. Ezech. 37, 10. Epist. Iudæ vers. 14, 15. 2. Reg. 4. 35. & 13, vers. 21: Sed liberationem ex morte & transitum in caelestem vitam Iohan. 5, 24. ubi hoc corruptibile induet incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem. 1. Corinth. 15. vers. 54. idq, ad imaginem filij DEI Rom. 8, 34. qui est nostra vita, & resurrectio Iohan. 11. vers. 25: à quo ad omnia gaudia resuscitabimur. Iob. 19. vers. 25, 26, 27. Iohan. 5. vers. 25. si modo in communionem sanctorum hinc discesserimus, id quod est obdormiscere in Christo 1. Thess. 4. vers. 14. hoc est in morte retinere conjunctionem cum Christo in vera fide.*

CXX.

Hæc enim gaudia, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis pervenerunt 1. Corinth. 2. vers. 9. nequaquam contingent promiscue etiam Ethnicis ac
omni.

omnibus, & quidem propter ipsorum heroica & honesta facta sicut existimavit Zuinglius, Gualterus, Erasmus Roterodamus & alij, sed tantum illis, qui in verum Deum, & in Iesum Christum crediderunt & in vera fide & noticia ejus obdormiverunt Iohan. 3. vers. 16. Qui enim non credit jam est iudicatus. Ioh: 3. vers. 18. Marci 16. vers. 16. Qui vero non crediderit, condemnabitur.

CXXI.

De quaestione quamdiu sint lugendi mortui, aliter ratio, aliter scripturae sanctae nobis respondebunt.

CXXII.

Apud Plutarchum, Numa lugendi modum pro aetatibus temporibusque statuit: *puerum non lugeri trimo minorem, neque etiam natu grandiore plures mensium, quam vixisset annos ad decem usque. Et prolixiore fletu aetatem lugere nullam: Sed longissimum luctus tempus esse mensium decem, quandiu & mortuorum uxores viduitatem servant.*

Numa de luctu pro mortuis.

CXXIII.

Sed videamus consilia, & exempla priorum hominum.

CXXIV.

Siracides cap. 38. inquit: *luctu quo dignus est, prosequere mortuum, idque uno aut altero die.* Idem cap: 22. *luctus mortui SEPTEM dies, fatui autem & impij omnes dies vitae illorum.*

Sanctorum ac sacrae scripturae de mortuis lugendis sententia.

CXXV.

1. Maccabæor: 9. vers. 20: *Iudam Maccabæum deflent Israelitae MULTIS diebus, ut & Ionatham & socios ejus tanquam praclaros duces:* 1. Maccab: 12. vers. 52. Ita Moisen Deut: 34. vers. 8: Aaronem Num: 20: TRIGINTA DIEBUS fleverunt Israelitae: Iacobum Patriarcham Aegyptij SEPTUAGINTA dies sed filij septem dies planxerunt inter sepulturas Gen: 50. vers. 3, 10. pro Ludovico rege per TRIENNIUM pullis vestibus usa fuit, & merorem fovit Ungaria teste Bonfinio, dec: 2. lib. 10. omnino sub finem. Iu-

CXXVI.

Judith vidua luxerat maritum annos TRES, menses 4. cap. 8. ubi necessitate compellente viduitatis vestes deponit. David luxit Ammonem BIENNIVM, ex 2. Samuel. 13. Lutherus in consolatione pro p[ro]fessore Luca post filium in Italia extinctum. Iacobus Patriarcha tum demum ex diuturna animi ægritudine recreatur, quando credit certam esse relationem de superstito Iosepho Gen. 45. nimirum post annos plus 20.

CXXVII.

Non potest igitur certum luctus intervallum singulis præscribi; 1. quia nusquam Canonica Scriptura illud præcisè determinat. 2. quia diversi sunt affectuum gradus in diversis. 3. quia diversimodè nos in vita tangebant ij pro quibus est lugendum.

CXXVIII.

Etsi autem hoc ita sese habeat, tamen unicè danda est opera 1. ne affectus abeat in habitum, & 2. ne impatientiæ vitio fidem Christi contaminemus, Deum exacerbemus, Ethnicis similes reddamur, quibus omnes consolationes defuerunt, 3. adeoq; ne omnibus consolationibus viam præcludendo, dolorum cruciatibus, ululatibusque naturæ nostræ vim inferamus, vitam præscindamus nobis ipsis adeoq; ad homicidarum & ἀνορθογών classes transfiliamus, Proverb. 17. ver. 22. Spiritus tristis exsiccat ossa.

CXXIX.

Interim etiam contenti simus honesta majorum & minorum qui in fide defuncti sunt mentione, & cœlestis eorum vitæ, ac felicitatis recordatione, ac publica ad testificandam spem resurrectionis sepultura.

CXXX.

Multitudine enim & precibus pro funere euntium clericorum & sequentium, alijsq; aliorum vivorum orationibus, Sacrificio altaris, eleemosynis, & alijs operibus nihil juvantur demor-

Certum tempus pro luctu omnibus præscribi non potest.

Quæ cavenda in luctu pro mortuis.

Pontificia nuge & impietates falso excogitate in salutem defunctorum.

demortui. Neq; enim piorum animæ in purgatorij cruciatum aliquem descendunt, neq; Cœnæ Domini usus vel alia personalia beneficia piorum, personas in hac vita egrediuntur, & impios in gehenna juvare possunt.

CXXXI.

Deterrima certe pauperum esset futura conditio, qui sacrificulos nullos conducere possent post obitum, si ex suffragijs pro mortuis esset expectanda liberatio ex tormentis purgatorij. Id quod tamen præter omnem scripturam his verbis expressit Albertus Magnus de officio missæ cap. 16. tract. 3. K: *Tot (inquiens) possunt fieri suffragia, pro uno aliquo, quod statim in momento liberatur, ideo in hoc solo casu melior est conditio divitis quam pauperis, quia habet unde suffragia fiant pro ipso, unde Proverb. 13. dicitur: Redemptio animæ viri divitiæ suæ.* Hæc Albertus Magnus.

Alberti Magni absurdissima opinio.

CXXXII.

PROGREDIMUR ad locum *de ciborum mundorum, & immundorum discrimine*, hoc est, quorumne animalium vesci poterant, quorumne non item carnibus Iudæi.

3.
DE DISCRIMINE ciborum mundorum & immundorum.

CXXXIII.

Munda sunt ex terrestribus, quæ habent fissos pedes, & simul ruminant: Deut. 14. 4, 5, 6. boves, oves, capræ, cervi, capræ, ex aquatilibus, quæ habent pinnae & simul squamas: ex volatilibus, quæ colliguntur ex aperièti Levit. 11. à 13. usq; ad 21. vers.

Munda animalia.

CXXXIV.

Immunda sunt ex terrestribus, quibus utraq; vel alterutra nota munditiei abest, & colliguntur ex aperièti Deut. 14. 44. 55. ex aquatilibus, destituta utroq; munditiei examine mundorum aquatiliu, exanguia, corio vel cute tecta, mollia crustata, dura & testacea,

Immunda animalia.

E

Im-

CXXXV.

Immunda item sunt ex volatilibus, rapacia, carnivora, nocturna vel si diurna, tum in aquis & in aëre commorantia, Levit. 11. 13, & seq. Dent. 14. vers. 12. & sequent.

CXXXVI.

Ubi primò dissimulandum non est, de multorum Hebraicorum vocabulorum genuina significatione, in hoc negotio doctissimos interpretes Hebræos inter se dissentire, & hanc litteram sub iudice deinceps quoq; mansuram. Vtinam vero hac de re Salomonis monumenta reliqua haberemus, quorum mentio fit 1. Reg. 4. vers. 33.

CXXXVII.

Deinde apprimè menti inculcandum est, non simpliciter mala & immunda vocari, sed *immunda IPSIS hoc est, Iudæis. Levit. 11. ver. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 12. 20. 23.* idq; dupliciter tum quatenus Iudæis, tum quatenus hominibus.

CXXXVIII.

Iudæis quatenus Iudæis quædam munda quædam immunda esse debebant, ut sic discernerentur ipsi, quos Deus singularibus portentis & revelationibus sibi in populum elegerat peculiarem, ex quo totus mundus veram disceret religionem, à reliquis gentibus omnibus sub sole. Dumq; ex occasione ciborum in omnibus nationibus probabant gentibus Iudæi, se à Deo accepisse discrimen illud ciborum & in honorem DEI precipientis illud servare, hoc ipso pacto subinde plures erroribus ad veritatem cœlestem traducebant.

CXXXIX.

Licet autem quædam ex prohibitis sint suavia, & utilia, tamen illa tale obedientiæ exercitium ipsis esse debuerunt, sicut ante lapsum *Adamo proposita arbor. Gen. 2. 17.*

CXL.

Ex quo patet summa DEI providentia quod variis, modis

1. *Causa cur Iudæis quidam cibi mundi, quidam immundi.*

2. *Causa cur Iudæis quidam cibi mundi, quidam immundi fuerint.*

dis homines ad sui notitiam pellicere studuit, ut omnibus omnem adimerent excusationem.

C X L I.

Iudæis, quatenus hominibus quædam sunt munda, quædam immunda, quia omnia quidem divinitus creata sunt bona: Sed non omnia humano victui sunt conducibilia & sana, ut ut gustui arridere videantur. Interim nihil frustra condidit Deus, quia quæ hominis complexionem perniciofa sunt, illa animalium quorundam irrationabilium cibus fiunt.

C X L II.

Ex hoc apparet *Φιλανθρωπία Dei*, qui etiam sanitatem hominis sibi non negligendam esse duxit, sed sanitati profutura præscribere voluit, ut in N. T. Apostolus fecit *1. Tim. 5, 23.*

C X L III.

Præter hæc veteris & novi testamenti doctores *ex animalibus in esum concessis*, de virtutibus à pio homine æmulatione summa præstandis, *ex vetitis* autem de vitijs declinandis occasionem docendi sumere cœperunt, licet in brutis propriè nec sint virtutes, nec vitia, quod ratione careant.

3. Causa cur Iudæis quidam cibi mundi, quidam immundi fuerint.

C X L IV.

Porro Ethicas significationes modo in genere, modo in specie considerare docent pij patres.

C X L V.

In genere, munda & permissa ex terrestribus, quia fiunt ungulas, idcirco firmiter insistent, propter duplicem ungulam, succedentibus in usum ungulis fissis, secundum iter, ita ut altera ungula subajulet alteram, deinde, quia cibos in ventrem demissos lursum retrahunt & remandunt, ideo melius concoquunt, meliorisq; lactis copiam subministrant.

In genere quid animalia Ethicè denotent. Terrestria quadrupeda munda.

CXLVI.

Sic Deo verè placent homines, qui eloquia ipsius constanter, & non leviter, sed fundamentaliter meditantur.

CXLVII.

Aquatilia munda.

Munda ex aquatilibus, quia pinnas tanquam alas habent, ideo ex fundo in altum facile elevantur & quia squamas habent, sæpè easdem exuunt. *Sic Deus requirit pios, qui per penitentiam veteris Adami immunditias deponant & per fidem ex fecibus mundi ad cœlestium considerationem evehantur.*

CXLVIII.

Volatilia immunda.

Volatilia prohibita recensetur illa, quæ ungues curvos habent, & constant rostris aduncis, suntq; rapacia & nocturna &c. *Sic Deus odit operantes opera tenebrarum, injustos, rapaces, furaces, fraudulentos, noctivagos, turbatores publicæ tranquillitatis, plenos odij, crudelitatis, spirantes nihil nisi seditiones & bella.*

CXLIX.

Reptilia immunda.

Reptilia quæ reptant & pennas habent, D. Lutherus hypocritis confert, qui verbi doctrinam in specie habent, & quasi ad Deum volare possent, & deberent, interim tamen reptant toti, toti q; nihil nisi terrestria & secularia sapiunt.

CL.

Lactantius in specie de prohibita carne suilla.

In specie quomodo idem fieri debeat, pulcherrimum de vetita carne suilla nobis præbet exemplum Lactantius lib. 4. cap. 17. de vera sapientia his verbis: *Eodem etiam spectat carnis suillæ interdictio, à qua cum abstinere eos Deus jussit, id potissimum voluit intelligi, ut se à peccatis atq; immunditijs abstinerent. Est enim lutulentum hoc animal & immundum, nec unquam cœlum aspicit. Sed in terra toto corpore & ore projectum, ventri semper & pabulo servit, nec ullum alium, dum vivit, prestare usum potest, sicut ceteræ animætes, quæ vel sedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum juvant, vel plaustra collo-*

tra-



trahunt, vel onera tergo gestant, vel indumentum exuvijs suis exhibent, vel copia lactis exuberant, vel custodiendis domibus invigilant. Interdixit ergo, ne porcina carne uterentur, id est, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad solam mortem nutriuntur, ne ventri ac voluptatibus servientes, ad faciendam justiciam inutiles essent, ac morte afficerentur, item ne se fœdis libidinibus immergerent, sicut sus, quæ se ingurgitat cœno, vel ne terrenis serviant simulacris ac se luto inquinent. Luto enim se oblinunt, qui Deos, id est, qui lutum, terramq; venerantur. Hæc Lactantius.

CLI.

Ad imitationem hujus exempli execrari decebat, dolositate, crudelitatem, & gulositatem vulpium, ferociam & intractabilitatem leonum, pardorum, & tigridum, desidiam & stoliditatem asinorum, sæviam felium, timiditatem, leporum, rapacitatem & voracitatem luporum, contentiones canum, ineptias simiarum.

CLII.

Imitemur autem ovium animositatem, pertinaciæ expertem, in religione propaganda, studiumq; societatis, in quaerendo cum mugitu desiderij teste, cum quo trahat aratrum comite, gratitudinemq; in agnoscendo præsepi Domini, ovium simplicitatem, cervum elevantem sese cum vult audire, & alta petentem, cum urgetur, ut nos quoq; in adversis cœlum suspiciamus, & pugnantem cum serpentibus, ut nos cum vitiorum & hæresium architectis simile certamen ineamus.

CLIII.

Detestemur cygnum, sævientem in cygnum & ex aquis edulia sectantem, cum nos cœli panem quaerere deceat, aquilam rapientem anseres, lepores, damulas, vescentem cadaveribus & serpentibus, prædatricem & pestem multorum animalium, talpas & mures delectantes latibulis, sub immunda & tenebrosa terra: Vulturem, qui sequitur castra, & voluptatem

Alia specialia exempla significationum Ethicarum ex mundis animalibus.

Exempla significationum Ethicarum ex immundis animalibus.

tem ex nece aliorum captat, mergulum sese in aquas delicia-
rum immergentem, accipitrem raptoribus inservientem, *no-*
ctuam astutam in nocturnis, & terrestribus, hebetem in diur-
nis & cœlestibus: *Struthiocamelum*, qui cum sit avis, tamen
volare nequit, nec à terra elevatur, *vespertilionem*, quæ vult
esse media inter bestias & aves.

CLIV.

Πραγματεία de discrimine ciborum mundorum & im-
mundorum concluditur duplici lege, altera de non come-
dendo cadavere, etiam mundorum animalium, sub pœna ex-
terminationis ex populo suo; altera de non coquendo hædo
in lacte matris.

CLV.

Morticinum seu cadaver etiam mundi animalis vocatur,
quod mortuum est per se aut ex peste, aut discerptum à feris,
aut suffocatum, non præcisus venis colli. *Exodi 22. 30* istud
cani proiicitur, hoc loco jubentur illud dare aut vendere pe-
regrinanti inter ipsos Ethnico. Ethnici enim in Iudæa mo-
rantes seu habitantes eandem legem cogebantur servare, *Le-*
vit. 17. 10.

CLVI.

Porro ratio interdicti esus cadaveris fuit, quod illud cada-
ver non legitimè fuerat jugulatum, præcisus venis colli, undè
à sanguine purgari potuisset.

CLVII.

Esu autem sanguinis *Gen. 9. ver. 4.* longè ante Mosen
DEVS ipse interdixit, postea verò per Mosen jussu Dei idem
factum est *Levit. 3. 17. & 7. 26. & 17. 10. & 19. 26. Deut. 12. 16.*
23. & 15. 23.

CLVIII.

Ratio interdicti esus sanguinis additur, quia anima est in
sanguine, hoc est, quia aliquid vitale calidum est in sanguine,
quod

Duplex appen-
dix.

Immundos cibos
Iudæi aut cani-
bus, aut etiam
Ethnicis inter
ipso peregrinan-
tibus dabant, vel
etiam homini-
bus istis vende-
bant.

Esus sanguinis
tempore Noe
prohibitus.

Cur esus sangui-
nis prohibitus
tempore Noe &
Mosis.

quod toti corpori per venas vitam & motum communicat
adeò, ut etiam in homine spiritus rationalis per sanguinem
totum corporis ambitum vegetet & moveat.

CLIX.

Cur autem esus illius, à quo vegetatur totum corpus, tam
maturè, solenniter, & sepè fuerit prohibitus, ratio est, ut non
modo non assuescerent homines, ad exemplum canum, lu-
porum, felium, milvorum, accipitrum, carnes semivivas, pal-
pitantiaq; & calentia membra, raptas vivas oves, viventes
pulos, pisciculos, lepusculos lacerare & deglubere, sed poti-
us, ut ex horrore sanguinis beluini discerent singuli abhorre-
re à sanguine humano, adeoq; à crudelitate in homines, & ab
homicidijs ipsis.

CLX.

Cumq; tempore Apostolorum hanc consuetudinem
abstinendi à sanguine, toti mūdo olim promulgatā, sibiq; spe-
cialiter toties inculcatam à Deo, nequaquam deserere, sed po-
tius mordicus, ut testimonium consensus doctrinæ suæ, cum
doctrina NOÆ, ut etiam partem singularis munditiæ ex-
ternæ & salubritatis, retinere vellent Iudæi: iccirco *Actor. 15.*
29. Apostoli etiam Ethnicis injungunt, ut ex charitate, quæ est à-
missis expendendi legitima, ad vitandum offendiculum ac scan-
dalum, & ut melius coalesceret Novi Testamenti Ecclesia ex gen-
tibus & Iudæis, à sanguinis esu abstineant.

Cur Apostoli
Christianis in-
terdixerint e-
sum sanguinis.

CLXI.

Id quod etiam factum est, & diu mori maluerunt Chri-
stiani, quàm hoc ipsum violare, teste *Tertulliano in 9. Apologe-*
tico.

CLXII.

Id tempore Origenis adhuc observatū, patet ex *romo ipsius*
2. f. 403. super Rom. 2. caput, ut nimirū nullos cibos comederēt,
nili

nisi prius ad pristinum morem justo ordine mactatis animalibus, & à sanguine ritè probeq; purgatis, præparatisq; & prorsus alteratis, & immutatis carnibus.

CLXIII.

Quomodo & cur
sanguis datus fu-
erit altari.

Quod inter leges de interdicto esu sanguinis *Levit. 17. 11.* additur, *sanguinem à Deo datum super altare* ad expiandum, id sine dubio factum fuit ad declarandam vim vivæ victimæ pro nobis factæ in sanguine suo, IESV CHRISTI. Omnis enim expiatio delictorum fit in sanguine boum & hircorum significativè; Christi verè & realiter. *Hebr. 9. 12. & seqq. imprimis 22.*

CLXIV.

Hædus non co-
quendus in lacte
matris.

Postremò lex de non coquendo hædo nuper nato & nondum ab lactato duplicem habet rationem, *Physicam & Ethicam*, ut una vice corporalis emolumenti & spiritualis salutis rationem haberet Deus.

CLXV.

Physicè, qui tam præpropere rapitur ab ubere matris, valetudini plurimi incommodat (ut etiam alius similis quivis cibus ex immaturis animalibus) siquidem adhuc nullam ne minimam quidem firmitatem & legitimam humanum harmoniam assecutus est.

CLXVI.

Ethicè, quia ut interdicto esus sanguinis, ita quoq; prohibitione esus hædi cocti in sanguine matris à crudelitatis affectu & effectu Iudæi absterrebantur. Qui enim misericors est erga brutum, is multo magis hominum miserebitur, cum è contra ferociam & omnis generis proterviam in bruta exercentes eodem facto in homines extrui data occasione favire discant.

CLXVII.

Similia his sunt, quæ capite Deut. 22, continentur, de jumentis

ris proximi errantibus reducendis, de jumentis in via jacenti-
bus adjuvandis, de ave matre cum ovis aut pullis non simul
abripienda.

CLXIX.

Ceterum hoc ipso in loco pontificiarum nugarum faci-
enda est mentio, quæ ex perperam considerato, maleq; de-
torto mandato divino originem traxerunt.

CLXIX.

Etenim quia Deus, veteris Testamenti populo certos ci-
bos interdixit, à quibus sub pœna gravissima sibi abstinere de-
buit, ideo Pontifex quoq; Romanus sub titulo Ecclesiæ in N.
T. promulgavit discrimen quoddam ciborum, quo consci-
entias alligaret eorum, qui prohibitos prohibitis diebus co-
medunt, è contra R. P. si quis ab ijs abstineret, promitteret.

CLXX.

Id quod primo pugnat è diametro cum articulo justifica-
tionis coram Deo, & gratuita remissionis peccatorum.

CLXXI.

Deinde quæ stolidam fraudulentiam hæc est, ubi carnis do-
mandæ gratia interdiciunt carnes, caseos, butyrum, ova, inte-
rim verò concedunt pisces, fructus arborum, legumina, ele-
ctuaria, confectiones, vinum, siceram.

CLXXII.

Ac totum hoc negotium accuratè decisuri hanc præ-
mittimus *ὡς θεῶν*, hominem ideò sine certo verbo DEI ci-
bos nullos sumere, nec sine illo ipso cibos ullos averfari de-
bere, quia Veteris & Novi Testamenti scriptura testatur,
DEUM singulariter de cibis sumendis vel abstinendis præ-
cepta tulisse.

Huic generali regulæ *speciales concessionēs & prohibitio-
nes* pulcerrimè aptabuntur.

CLXXIII.

Statim post diluvium DEVS esum illorum omnium, quæ
F moven-

*De Ineptissimo
discrimine cibo-
rum in quadra-
gesimis Pontifi-
cis.*

*Bella argumen-
tatio, scilicet.*

*Hoc non est di-
scrimen sed im-
mutatio cibo-
rum.*

Regula de cibis.

Expresse permis-
si cibi statim post
diluvium.

Prohibiti cibi
post egressum ex
Ægypto.

An prohibitis
carnibus in casu
necessitatis
& confessi-
onis vesci poru-
issent & debuif-
sent Iudæi.

Leges Mosai-
ca de prohibitis
carnibus Ethni-
cos nunquam ob-
ligarunt, nisi in-
tra Judæam ha-
bitarent & com-
morarentur.

Omnes carnes
permisæ in N. T.

moventur & vivunt promiscuè & expresse permittit, exce-
pto sanguine animalium, Gen. 9, 3, 4. licet homines sine du-
bio utiliora tantum selegerint.

CLXXIV.

Statim post egressum ex Ægypto Levit. 11. & Deut. 14.
DEUS ipse discrimen ciborum constituit, de quo in hac di-
sputatione hæcenus egimus.

CLXXV.

Quotquot igitur post Noah quibusvis usi sunt carnibus,
ij nequaquam peccarunt.

Quotquot verò sub politia Mosaiica quibusvis usi sunt,
ij conscientia vulnus intulerunt, non propter substantiam
ciborum in se, sed propter verbi expressi contemptum.

CLXXVI.

Quin tamen in casu necessitatis vite, prohibitis carnibus
vesci potuissent Iudæi, vix dubitabit qui illud Deut. 28, 53. &
sequentibus: *Ierem 9, 9. Baruch. 2, 3.* de carnibus humanis
tempore obsidionum devorandis expenderit. *Alia ratio erat*
in casu confessionis, 2. Marc. 6, 21. & seqq.

CLXXVII.

Quod autem probè observandum est, promulgatis intra
Judæam legibus prohibitorum ciborum, Deus Ethnicos extra
Judæam non astrinxit, sed solummodo ipsos terræ Iudaicæ in-
habitatores, sive Israelitæ essent illi, sive etiam ex gentibus or-
ti, tunc tamen Judææ, quod ad habitationem subjecti: Ethnici
enim per totum orbem vel sponte capta vel à Iudæis dono da-
ta vel emta quævis animalia licitè comedebant Deut. 4, 21.

CLXXVIII.

Statim in initio novi Testamenti renovata fuit consuetudo &
permissio olim Nohe data, Act. 10, 15 in visione Petri: Quæ DEUS
purificavit, tu ne polluas. 1. Corinth. 10: 25, 26: Quicquid in macello
venditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini
est terra & plenitudo ejus. 1. Timoth. 4, 4: Quicquid creavit DEUS
bonum est, nec quicquam abjiciendum, si cum gratiarum actione su-
mar.

matur. *Coloss. 2, 16*: Nemo vos damnet ob cibum aut potum, scilicet in lege Moſis præſcriptum, quia fuerunt rerum futurarum umbra.

CLXXIX.

Attamen, propter Judæos ut ſupra explicatum extat, tantummodò à ſanguine & ſuffocato abſtinere Chriſtiani jubebantur, à quibus omnium maxime Judæi abhorrebant idq; ad tempus, ut colligitur ex *Rom. 14, 15*. & ſequentibus.

CLXXX.

Simul enim ex eodem loco conſpicitur, Apoſtolos, cum adhuc ſuo tempore proſpicerent, quod aliqui edictum de non edendo ſanguine pro aliquo ſimpliciter neceſſario habituri eſſent, anſam porrexiſſe, ut ſublato ſine interdicti (ſcilicet poſtquam doctrina N. T. de omnibus per ſe mundis ubiq; & ſufficienter inculcata fuerit) idem interdictum mitigaretur.

CLXXXI.

Ex Eccleſiæ igitur pomerijs penitus exulet illud Alenſis dictum: eum qui ſuſcipit Baptiſmum, eo quod tunc fiat membrum Eccleſiæ, ſubjicere ſe ſtatutis Eccleſiæ ſub peccato mortali obſervandis. Et alterum ejuſdem: majus peccatum eſſe tempore jejuniij comedere unum morſellum carnis, quam de piſcibus & alijs multum comedere.

Alenſis.

CLXXXII.

Diabolicæ etiam ſunt taxæ Romanenſium, quando pro certis pecunijs non illubenti animo veniam dederunt veſcendi interdictis cibis, cum veteres in publicis jejunijs ſine precio ex caritate, ægrotis, laborantibus, gravidis, ſenibus parcerent.

Taxæ Pontificiæ ob carnis uſum concedendæ.

CLXXXIII.

Superſtitiones inde etiam emanarunt, quod diſputarunt, utrum comedens caſeū die Veneris in quo inſunt vermes, frangat diei iſtius interdictū, perinde ut nauci Judæi hodie diſputant, utrum ex granis die Sabbathi inter gallinas ſparſis in terram, indeq; in culmos excreſcentibus poſſit violati Sabbathi inſimulari.

Superſtitiones Pontificiæ.

CLXXXIV.

Cum autem Pontificia ciborum immutatio & prohibitio cum his ex ſacra ſcriptura prolatis pugnet, eam penitus rejicimus, & æternum Patrem æterni Filij J E S U Chriſti Domini noſtri oramus, ut noſtros cœtus ſanctificet in veritate, ſermo ipſius eſt veritas, *Iohan. 17, 17*.

F I N I S.

Lectori P. P. P.

Et haecenus praecipuas materias capitum Deuteronomij quatuordecim priorum, Deo sit laus, non, quot initio destinaveramus, quatuordecim, sed quod postea maturare visum fuerat, septem disputationibus inclusas & absolutas dedimus. Illis in unum fasciculum collectis in fine disputatio de distributione Decalogi apponi poterit. Post hac, ^{sub Deo} restantia Deuteronomij capita itidem thesibus comprehendere studuimus. B. VV. 7. Martii

1608.

VVolfg. Franzius Theol. D.



94 A 7382

ULB Halle 3
002 183 692





SB.

VD 17

21.7.99 Bd.







15

ΣΤΝ ΘΕΩ

Ex

DEUTERONOMIO

Disputatio VII:

- I. De seductoribus in religione.
- II. De moderatione luctus pro mortuis.
- III. De discrimine & delectu ciborum.
ex capitibus nimirum 13. & 14.

Ad cuius Themata,

In Illustri Academia VVitebergensi

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO

S.S. Theol. D. & Prof. publ. Præpo-
sito itidem templi arcis

Respondebit

MATTHIAS BOETHIVS
Strandensis Holsatus.

*Die 12. Martij in templo arcis Electo-
ralis horis pomerid.*

WITTEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.
M. DC. VIII.